



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXCVII. Ioannis Papae VIII. Ad Michaelem Regem Bvlgarorvm.
Hortatur vt ad fidem & obedientiam Romanae ecclesiae redeat, & legatos
mittat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCXCVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MICHAELEM REGEM BVLGARORVM.

Hortatur vt ad fidem & obedientiam Romanæ ecclesiæ
redeat , & legatos mittat.*Michaeli regi Bulgarorum.*

CV M non tam initia sint in bonis laudanda , quam finis,
Deo omnipotenti factori omnium visibilium , & inui-
sibilium , gratias agimus , qui vestrum bene velle haec tenus
in soliditate veræ fidei solidauit , & sui amatorem efficiens ,
tamquam revera ex tenebris olim lumen splendescere fe-
cit , & ad salutem multorum benignissimum cor vestrum
gratia suæ potentia illustravit : sed & hinc deuotioni ve-
stræ dignum duximus congruas grates referre , quod par-
tim finis ostendit , quam fidelitatem erga sanctam Roma-
nam ecclesiam omnium terrarum matrem & caput ob-
seruare curetis . Cum hanc & initio vestrae conuersionis
quaesieritis , & ad præsens auxiliatricem habere ad perpe-
tuam scilicet vestram saluationem monstrare non omi-
seritis , sanctos videlicet apostolos visitando , & eorum , vt
diximus , suffragia postulando . Igitur absurdum valde est ,
ac inconueniens , quod pia vestra voluntas aliter se post
habere voluit , quam , sicut omnibus notum est , primum .
Vos enim diuinitus inspirati matrem omnis religionis , san-
ctam quippe Romanam ecclesiam ducentricem , & viam
per quam ad æternitatis pascua duceremini , merito ex-
petistis : & illa , quia omnibus fidelibus viscera materna
præbet , ac præbuit , vos expansis ad Deum vlnis , Christo
gratias agens , recepit ; consequens fuit vt a recti gres-
su itineris , in partem non flechteremini , nec manum mit-
tentes in aratum , retro aspicere cuiuscumque forte sua-
tionibus niteremini . Numquid non fili carissime sanctum
Matth. 10. euangelium surda aure auditis , quo legitur : *Qui perseuera-
uerit usque in finem , hic saluus erit ? aut si audistis , & obaudi-
tis : Redite ad mentem vestram , redite ad cor ? Et vestrae sponsio-
nis reminiscimini . Quia plus amor & timor Dei vos fecit
esse credulum apostolici priuilegii , quam , vt ita dixerim ,
exempla multorum . Si enim quod quicumque Deo vout ,
hoc*

Isa. 46.

hoc debet & reddere, valde oportet, vt vos quod sanctæ Romanæ ecclesiæ sponte voulis, fine tenus reddere studeatis: non ignorantes quod B. Petrus apostolus regni cœlestis claves a Domino Iesu Christo acceperit, & quibusque fidelibus aperiendi, aliis autem claudendi promeruerit potestatem. Hac igitur (sicut & nostri prædecessores) nos potestate, licet indigni vtentes, cogimur, si non emendaueritis quod gesistis, & ad præsens vos in hoc sæculo digne corripere, & vt in futuro, quantum in nobis est, maledictionibus repleamini, non præterire. Huius rei gratia, fili carissime, festinate corriger quod inique gesistis: & omni occasione, omnique mora postposita nobis per vestrum legatum quidquid super hoc emendare vultis, mandate: quia nos, Deo iuuante, omnem voluntatem vestram correctionis implebimus, & vos anima & corpore saluos existere cupientes causam secundum Deum ordinare studebimus.

EPISTOLA CCXCVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD RICCARDEM AVGUSTAM.

Queritur nullam sibi contra Sarracenorum excursiones opem ferri. rogat vt ab imperatore celeriter postulet auxilium. legatum suum commendat. petit det operam, vt Angelberga ab exilio reuocetur, & Romam mittatur.

*Riccardi Augustæ, seu Liutuando Vercellensi episcopo,
a paribus.*

TANTA cordis angustia, tantusque dolor & gemitus hinc & inde cum irriguis lacrymarum riuulis nostram aratem quatunt, & conquaßant, tantusque etiam luctus pro desolatione terræ istius, quam iam funditus a Christiani nominis inimicis, & Deo odibilibus Sarracenis deprædatam cernimus, nos afficit, & intima nostra dissoluit; vt & somnus ab oculis, & a gustu cibus effugiat. Etiam cum Ieremia decantare compellar: *Quis dabit capiti meo aquam?* Ier. 9. aut oculis meis fontem lacrymarum? & reliqua. Siquidem expectauimus lucem, & ecce tenebras; quæsiuimus adiutorium, & muros vrbis egredi non audemus. Nam ante vestrum

Concil. Tom. 24.

Xx